



Proæmium.



On opinor esse qvenquam, qui PLATONIS nomen maximi semper reputatum fuisse aut neget aut nesciat. Præter enim Gentilium Gymnasia, quæ ille nunquam non insigni nominis sui admiratione complevit, adeò Christianorum quoq; occupavit subsellia, ut per aliquot seculorum decursus ipse solus propè in iisdem gloriosum tenuerit principatum, & hodièq; multos in Theologorum scholis terminos usurpemus, quos ceu *ερείπια* quædam & frusta minutula Philosophiæ ipsius feramus in acceptis. Verum enim verò ut fatales qvædam periodi alternat in omnibus, ita cùm circa *Alexandri Severi* imperium *Peripatetica Philosophia* suis quasi tenebris eluctaretur rursū, caputq; sublevaret, Platonica paulatim suum oculuit, libentissimo quasi animo concessura filiæ : donec tandem otiosa *Scholasticon* hominum turba cerebrosis suis argutiis Platonico nomini tantas offudit tenebras, quantas vix longo tempore cispellere valuit. Revirescentibus tamen in Italiâ bonis literis, & PLATO quoq; reviviscebatur, ita quidem, ut ARISTOTELI victori hactenus & latè regi nil quicquam tale metuenti palmam maximè redderet ambiguam. Hinc acerrimæ BESSARIONIS *Cardinalis* & GEORGII TRAPEZUNTII contentiones nascebantur, PLATONI illo, hoc verò ARISTOTELI primas deferentibus. JOHANNES e-

A 2

qui-